

IOHANNES GOTTHARDVS CANCELLARIUS RATIS-
bonensis.



JOannes Gothardus filius fuit Vuolffgangi pro-
fessoris in Academia Ingolstadiana doctissimi,
qui natus est anno 1535. Itaq; cum felici ingenio es-
set præditus, patre præceptore existente, literas di-
dicit, & bonarum artium haud pœnitēdam cogni-
tionē acquisiuit. Postea sese ad Iurisprudentiæ stu-
dium conuertit, & anno ætatis 24. in patria Docto-
ralia insignia impetrauit. Ad hanc eius doctrinam
coniungebat pietatem, & rerum usum. Itaq; Ra-
tisbonensis præsul eum liberali stipendio ad se uo-
catum 1559 Cancellarium constituit, & negotijs ar-
duis præfecit. Deinde etiam legatum Romam mi-
sit, atq; quædam suo nomine expedire iussit. Quæ
quidem omnia is singulari dexteritate perfecit. Is cum Ratisbonę meum insti-
tutum de uiris illustribus Germaniæ colligēdis intellectus, me humaniter su-
scepit, atq; hinc inde per tempora deducēdo significauit, qui nam pietate & do-
ctrina reliquos superarint, & nunc in Domino obdormierint. id quod ex cu-
iusc Epitaphio facile cognosci poterat. Anon.